



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Sexta Clausula. Prohibetur munerum acceptio. paragrapho. 6.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40132**

## §. VI.

*In sexta clausula prohibetur executor aliquid muneris, vel compensationis accipere.*

1. **I**D sanè non solum monet, sed præcipit: sic enim habet: *Quod si, spreta hac monitione, aliquid muneris, aut præmii recipias, excommunicationem latam incurras.* Immo interdum, quando scilicet dispensatio conceditur in forma pauperum, id est, sine illa compositione, seu eleëmofyna, quam pro divitiis soler taxare datarius, addit Pontifex, ut dispensatio tunc nulla sit.

2. Dubitatur ergo, an nihilominus executor possit excipere, saltem esculenta, & poculenta, quæ paucis diebus consumi solent?

3. Respondet Primò Sanchez, *a* non posse, quia omne genus muneris verat Pontifex, ibi (*aliquid muneris*) intelligit tamen Sanchez, si ea mittantur à partibus ante finitam Delegationem, vel cum pacto, seu conventionem dandi postea.

Addit Conradus, *b* eiusmodi executores debere omnia gratis exhibere; quare, nec pro labore studii, nec pro accessu ad Testes examinandos aliquam posse mercedem accipere.

4. Respondet Secundò Perez *c* duo afferens, Primùm, per dictam clausulam non prohiberi Officiali aliquid modicum accipere pro laboris impensa in exequenda dispensatione, si illud sit iure, vel consuetudine debitum, quam tamen consuetudinem adesse, difficile putat, quia eiusmodi labor admodum est exiguus.

Secundum, non prohiberi esculenta, & poculenta non magni momenti; eum enim non datur (ut supponendum est) ad corrumpendum Judicem, sed solum, ut majori brevitate suum munus perficiat, non videtur (ait) cadere in dictam prohibitionem. *d*

## §. VII.

*In septima clausula ponitur: Non obstantibus, &c.*

1. **T**Ametsi hæc clausula: *Non obstantibus Constitutionibus Pontificum*; addatur in

mandato de Dispensando: illa tamen non tollit impedimentum in illo mandato non expressum. Cadit igitur solum illa non obstantia super impedimentum expressum, ut rectè notat ibidem Conradus. *d*

## CAPUT XIII.

## Explicantur clausulæ Rescripti Dispensationis pro foro interno.

1. **I**ndicavimus aliquanto superius, quando occultum est impedimentum, ejus dispensationem peti, & impetrari per viam Pœnitentiariæ, quæ; nec ipsa immediate illam expedit, sed committit alteri per literas sigillatas, quarum præcipuas Clausulas jam expendo.

## §. I.

*In prima Clausula committitur Delegato executio.*

1. **I**n hac Pontifex, ubi salutationem impetravit ei, cui delegat commissionem, requirit in eodem duas qualitates, quarum alterutra deficiente, nulla concederetur à Delegato dispensatio. Hæ sunt, ipsum esse Doctorem in Theologia; vel in Jure Canonico, & eundem esse Confessarium approbatum ab Ordinario. Verba Pontificis hæc sunt: *Discreti viro Confessori Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctore ex Approbato ab Ordinario.* His autem qualitatibus existentibus, est in potestate dispensandi hunc, vel illum eligere. Sed perpendamus jam utramque qualitatem.

2. *Confessario.* Olim satis erat, Delegatum hunc esse Confessarium, sed probabile saltem erat, non opus tunc fuisse, ut dispensatio expediretur ab ipso in actu Confessionis Sacramentalis, quia verba Brevis, non clarè hunc rigorem requirebant; hodie verò clarè solet poni, ut non nisi in ipso actu Confessionis Sacramentalis prædictus Confessarius dispense, ut eum multis notat Diana *p. 1. r. 3. res. 106. e*

3. Addit idem *f* ex Marco Leone, sufficere, etiam si Confessio sit sacrilega, dummodo *307.*